



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Lilivm Inter Spinas

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XXV. Dentes duo B. Ioseph excussi à Virgine Matre mirabiliter  
restituuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

ORDINIS PRAEMONST. 79  
plurimum commendavit, dicens no-  
stro IOSEPH, se in illis suis laudibus  
non modicum delectationis habere.

CAPVT XXV.

*Dentes duo B. IOSEPH excussi à Vir-  
gine Matre mirabiliter restituantur.*

**I**NTER cetera charitatis insignia,  
quæ circa IOSEPH suum, Mater  
beneficentissima multipliciter exhi-  
bere consuevit, hoc mirificum specia-  
liter enarratur: quòd cum aliquando  
minùs cautè procedens pedibus offen-  
disset, cadens in faciem duobus denti-  
bus orbatus est. Quos cum euulsos  
manu portaret, sine omni spe recupe-  
rationis (neque enim edentulus si quis  
factus, rursus ei dentes orti sunt, mul-  
tò minùs aliquando repositi; cum, se-  
cundùm naturam, non sit à priuatio-  
ne regressus ad habitum) ibat euomens  
sanguinem, fortassis ad lauatorium, vt  
illum ablueret profluentem. At Mater  
miseri-

misericiordiæ, dolorem, pudorem, & tantum detrimentum sui fidelissimi miserata, beatissimam & consuetam illi suam præsentiam occurrens exhibere curavit; &, verbis compassionem signantibus, familiarissimè sciscitata est: Quid, inquit, habes? Cui ille, quantum potuit loquēs; Dentes meos, ait, perdidit, cruciorque dolore. At illa subiecit: Da mihi, inquit, ipsos dentes euulsos. Quos cum de manu dilecti accepisset, in gingivas sanguinolentas illos reposuit locis suis; & omni dolore remoto, vulnereque sanato, dentes solidavit eosdē, ut nullum omninò doloris aut vulneris vestigium remaneret. Puto, hos dentes lacte innocentiae lotos, nec voracitate fuisse corruptos, nec motu iracundiæ vel invidiæ super aliquem frendere consuetos; quos Mater sacratissima benigna manu contingere, & tam mirabiliter reformare curavit.

*Dentes ei  
per casum  
excussi à  
Virgine  
Deipara  
restituuntur.*

CA-